

I.

TENTAMEN
ADDITAMENTORUM ET OBSERVATIONUM
AD
HISTORIAM STIRPIUM HELVETICARUM SPECTANTIUM
AUCTORE
ALBERTO AB HALLER.

1) **C**REPIDIBUS Helveticis addo speciem, cujus nullam invenio descriptionem aptam penes auctores; immo nec in absolutissima hujus generis historia Doct. La Chenal in *Actis Helveticis*.

CREPIS fetosa, foliis imis pinnatifido-dentatis, dentibus variis; caulinis dentatis, summis linearibus, calycibus exterioribus patulis; caule, nervis et oris foliorum, pedunculis, et carina squamarum calycinarum fetoso-hispidis.

Caulis 2—3 pedalis, a basi statim in ramos dividitur, ramis ramosis; fulcatus, cavus, fetis raris hispidus.

Folia variae structurae. Radicalia oblonga terrae incumbunt, pinnatifido-dentata; sed ii dentes nunc longiores, nunc breviores. - Caulina Crepidum in morem ab infimis ad summa sensim dentes abjiciunt, et minuuntur. Inferiora tota lyrato-dentata, media ad basin dentata, lobo terminali triangulari, elongato, integro; summa sagittata, sub pedicellis bractee lineari-lanceolatae; omnia auriculis culmum amplectentia, tenera. Setae virides, herbaceae, flexuosae, subulatae, molles.

Pedunculi hispidi, Flores 2, 3, sustentant, magnitudine *CREP. biennis*.

Calyx duplici serie squamarum confectus. Interior 13. circa squamis constat, carinatis, linearibus, ciliatis. Exterior 9-phyllus, interiori duplo brevior, patulus, foliolis similibus.

Corollae de more, totae luteae.

Stamina filiformia, antherae coalitae; styli exserti atro-virides; stigmata duo, revoluta. Receptaculum punctatum. Semina cylindrica, pappo coronata sessili, molli, Crepidibus proprio, ut monuit sagacissimus La Chenal.

Habitus *Crepidis neglectae* in horto cultae: sed setae, quae ubique cauli, foliis, pedunculis, calyci insident, peculiarem plantae faciem praebent.

Habitat Bernae sub vico Die Hormannsgasse, ubi repetitis vicibus legi. Sed Semina mihi negata fuerunt, quod area illa foeni gratia tonditur. Legi quoque in vico Chiasso ad fines australes Helvetiae transalpinae. Floret Julio.

2) *LEONTODON pyrenaicum*, Gouan. in omnibus pascuis editoribus tractus stokhornensium Alpium cum *LEONTOD. aureo* magna copia promiscue provenit.

3) *HIERACIUM umbellatum* repertum est et squamis calycinis recurvis, et pappo plumoso, sed nihilominus eandem esse speciem, et structura reliquarum partium, et plantae vicinae demonstrabant. Ideo suspicor *LEONTODON umbellatum* Schrank. hanc esse varietatem, nec propriam speciem.

4) *HIERACIUM Allionii*, caule unifloro, subnudo, foliis oblongis, undulatis, pilosis, calyce laxo pilosissimo.

HIERACIUM alpinum Allioni *Fl. Pedem. I.* p. 212. No. 77. Tab. XIV. f. 2.

HIERACIUM alpinum Haenke *Beobachtungen auf einer Reise ins Riesengebi. g.*, p. 88.

Canonicus M. S. Bernhardi, plantarum studiosus, attulit ex suis montibus. Diversum ab *HIERACIO alpino* L. et *HIERACIO* 49. Hall. Foliorum structura pilosellis accedit, glauca quadam facie, pilis raris, longis, margine undulato. Calyx pilis densissimis griseis, squamis patulis plurium ordinum tumidus, ut in *HIER. villoso*.

5) *CHRYSANTHEMUM montanum* foliis radicalibus spatulatis, ferratis, longe petiolatis, caulinis sessilibus linearibus, laxe subdenticulatis, caule unifloro L. Wulfen in *Coll. Austr. I.* p. 332.

Non rarum in rupestribus sylvaticis subalpinis, ut circa Balneum Wyssemburgense, Luccense etc. *CHRYSANTHEMUM montanum* All. *Fl. Pedem. I.* p. 190. T. XXXVII. f. 2. *CHR. Leucanthemo* multo propius esse, jam summus Wulfenius monuit l. c., qui nostram optime describit plantam.

6) Distinguendum censeo cum Dom. Haenke a *GNAPHALIO* 148.

GNAPHALIUM norwegicum, caule herbaceo simplicissimo, foliis lanceolatis, utrinque acutis, trinerviis, subtus lanuginosis, spica florum terminali, densa, foliosa; Haenke in *Coll. Austr. II.* p. 21. *Oed. Fl. Dan. T.* 254. *GNAPHALIUM medium* Vill. *Prosp.* 31. *Hist. III.* p. 193. *GNAPHALIUM fuscum* Lamarck *Encycl. meth.*

Habitat in summis alpiis graniticis, Grimsula, Gothardo, Furca.

7) Separare absque vituperationis metu audeo, Clar. Retzio praecunte in *Obs. bot. fusc.* II. p. 19. No. 283. in duas species:

1) *AJUGAM pyramidalem*, foliis inferioribus maximis, caule recto.

2) *AJUGAM genevensis*, foliis imis minoribus, caule subrecto.

Posteriori verticilli remotiores, lanugo densior.

8) Ehrhardtus, oculatissimus botanicus, asserit in *Beatr.* v. 63. *TRIFOLIUM aureum* Pollichii nihil aliud esse quam *TRIFOLIUM agrarium* L. et No. 363. non esse

esse *agrarium*, sed *procumbens* L. Omnibus bene perpenſis, ac ſpeciminibus helveticis cum exteris collatis, non poſſum non a partibus ejus ſtare, aſſertumque probare. Erit ergo No. 363. TRIFOLIUM *procumbens* L. et No. 364. TRIFOLIUM *filiforme* auctorum plerorumque, *procumbens* Pollichii; diſtinctiſſimae ſpecies. Poſterior in arvis nudis procumbit, et erigitur in herboſis plantis vicinis ſulta: nomen impoſui TRIFOLIUM *gracile* in Iconibus depictis a Nob. Gillaboꝝ, quae ſervantur in Bibliotheca Bernenſi. Sed et TRIFOLIUM *agrarium* L. Helvetiae eſt civis nova, ab amiciffimo Morellio in Valle Lauterbrunnen, a me prope balneum Wyſſembarg et in M. Belpberg lecta; numquam in agris, ſed in pratis, oris ſylvarum.

9) ASTRAGALUS 415. etiam in Gothardi latere auſtraliore provenit, unde habuit Jacquin fil. atque ASTRAGALUM *exſcapum* pronuntiavit; uti quoque patuit ex leguminibus lanatis.

10) Male retulit Reichardus No. 379. ad TRIGONELLAM *foenum graecum*: eſt omnino TRIGONELLA *monſepiaca* L.

11) Bene vero ad LEPIDIUM *graminifolium* L. refert NASTURTIUM 507. Cl. Villars in *Hiſt. des pl. du Dauphiné*. Nam noſtrae ſemper ſtamina 6., et petala, et calyx rubricofus.

12) TROPA *natans* in lacubus ſtagnis que dittonis Lucernenſis legitur, fructusque flo inferti venduntur a ruſticis curioſitatis gratia. Ideo nunc civis Helvetiae erit, intra terminos ejus naturales habitans.

13) VERONICA noſtra 535. eſt *latifolia* Scopoli, et *urticaefolia* Jacq. at 537. eſt *pſeudochamaedrys* Jacq. At Linnaeus Jacquino ſcripſit, *pſeudochamaedryn* ejus eſſe ſuam *latifoliam*. Nunc Smithius docet, *Teucrium* in herbario Linnaeano non aſſe. Nonne igitur expungenda ex Systemate Vegetabilium aut *Teucrium* aut *latifolia*?

14) De VIOLA *alpina* dubito, an Helvetiae ſit indigena civis; nam Reynier, vir indefeſſus atque ingenioſus, ſed nimis audax novique nominisque cupidus, plures plantas pro novis dedit civibus, in *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire naturelle de la Suiffe* T. I. in patria noſtra hucusque non repertas, ut GENTIANAM *campanulata* Jacq, CORONILLAM *glaucam* aliasque; nec non alias jamdudum notas, ut ROSAM *ſerpentem* Ehrh.

15) Medias inter ANDROSACEN *chamaejasmen* et *villoſam* tenet partes plantula, quam legi inter lapides deciduos ad introitum Vallis Gaſtern ſub pinibus, nam ei et calyx turbinatus, et pedunculi multoties involucro longiores, ſed et cauliculus rubellus pubeſcenti-tomentofus et folia villoſiuſcula nec ciliata tantum. Cum nec villoſa hortó culta habitum adeo mutaverit, dubius haereo, an ſit nova ſpecies. Differt ab ANDROSACE *lactea* Vill. quae minime Linnaei, petalis integris et magnitudine: differt quoque ab *obruſifolia*.

16) LYSIMACHIA *thyriſſora*, quae hucusque ſemel tantum in Helvetia reperta fuerat, provenit quoque ad oras limoſas ſtagnorum circa Bernam, ut Aeglenmoos etc.

17) Sub GALIO 715. latent duae species bene distinctae:

1) *GALIUM austriacum* Jacq. *Fl. Austr.* t. 80. caulibus glabris, filiformibus, erectis, caespitosis, foliis linearibus, ramulis erectis 3-floris, aphyllis. *GALIUM argenteum* Vill. II. p. 318. Puncta argentea multis speciebus communia sunt.

2) *GALIUM scabrum* Jacq. *Austr.* V. 422. foliis suboctonis, mucronatis, caule ad basin scabro, adscendente, ramis floriferis elongatis, inaequalibus subtrichotomis.

GALIUM sylvestre Poll. *Fl. Pal.* I. 151. Roth *Fl. Germ.* I. 64. II. 180. Hoffm. *Fl. Germ.* p. 49.

GALIUM asperum Schreb. *sp. Fl. Lips.* 3.

GALIUM obliquum Vill. II. 320? Sed non *GALIUM montanum* L. quod caules erectos habet. Galium quoque nostrum corollas acutas gerit, non aristatas, ut *GAL. mollugo*.

Prior in pratis humidiusculis subalpinis submontanis, ut prope balneum Lim-pachense. Secundum ubique in ficcis.

18) *AETHUSA Bunius*, umbellis 7-fidis, foliis radicalibus ternatis quinatisque, caulinis bipinnatis linearibus, summis fetaceis, Gouan III. bot. p. 20. Jacq. *borr. Vind.* t. 198. Provenit in Bois de Prangins, ubi legit amicissimus Davall.

19) *SELINUM austriacum*, foliis 3-pinnatis, segmentis lanceolatis aristatis, ultimis trifidis, petiolis lineis elevatis argenteis striatis, Scop. *Fl. Carn.* ed. 2. p. 200. Jacq. *Obs.* 22. *Fl. Austr.* tab. . . .

SELINUM argenteum Cranz. *Umb.* p. 60.

Seseli montanum II. Clusii II. p. 194.

Speciosa planta provenit in rupibus prope Wyssenburg, Moreles, nec in hortum translata mutavit habitum.

20) *ALSINE* 867. non erit *ARENARIA saxatilis* L. nec *ARENARIA verna* Jacq. sed potius *ARENARIA caespitosa* Ehrh. *Phytoph.* 55. *ARENARIA lanceolata* All.

21) *GERANIUM subcaeruleum* 935. ab Heriterio delineatum est in *Geraniologia* t. 39. sub nomine *GERANII lividi*. Tum *GERANIUM* 936. ibid. t. 40. sub nomine *GER. aconitifolii*. Minime est *GER. striatum* L. et Cavanilles. Unicum synonymon, quod huc pertinet, est, *GERANIUM rivulare* Vill. III. 372. t. 40. Cavanilles male ad *reflexum* citat 934. at La Mark *phaeum* bene ad hunc refert numerum. Sed errat, 936. esse *phaeum* Linnaei.

22) *GERANIUM* 939. erit *GERANIUM pyrenaicum* L. et Cavanilles. Non enim verisimile, Patrem plantam vulgarissimam, proceram, spectabilem ignorasse: descriptio quoque ad maximam partem congruit. At *molle* L. vulgo quoque in Helvetia provenit, *humile*, *annuum* praetervisum, aut cum *pufillo* confusum. Uberius distinguenda erunt.

- 1) *GERANIUM pyrenaicum*, perenne, caule erecto, villoso, foliis caulinis oppositis, subpeltatis quinquefidis, lobis trifidis obtusis, corollis calyce duplo majoribus, petalis emarginatis, basi barbatis, arillis hirsutis, apice rugosis.

GERANIUM pyrenaicum L. Vill. Cavanilles, Hudf. Gerard *Fl. Prov.* t. 16. f. 2.

Ad vias, fepes, vulgaris.

- 2) *GERANIUM molle*, annuum, caule suberecto, foliis quinquefidis, lobiis femitrifidis obtusis, floralibus alternis, pedunculo oppositis, petalis calyce vix majoribus, emarginatis, basi barbatis, arillis rugosis.

In ficcis, tenero gramine occulta vivit.

Plantula mollissima, minuta, diffusa, petala rosea. *GERANIUM pusillum* distinguitur a molli petalis non barbatis, flore caeruleo, caule obliquo erecto, foliis floralibus oppositis binis, a *pyrenaeico* praeterea foliis profundius fectis, laciniis linearibus. *Rotundifolium* ab omnibus petalis integris, foliis semicircularibus distinctum est.

23) Abr. Thomas sylvarum custos, quem Pater summe venerandus docuit plantas noscere, in Vallesia legit, mihique misit *CISTUM salicifolium*, herbaceum, stipulatum, patulum, villosum, floribus racemosis, racemis paucifloris, pedicellis horizontalibus L. Seguier *Pl. Ver.* III. p. 97. t. 6. f. 3. Hujus ut plurimarum aliarum rariorum civium Helvetiae Icones pinxit jussu Senatus Bernensis Nob. de Gillaboz, quas sculptendas ac coloribus vivificandas paraturus sum, si scientiae plantarum cultores favent.

24) *HYPERICUM dubium*, caule erecto, herbaceo, simplici, subtetragono, foliis ovatis, subtus punctatis, calycinis foliolis obtusis, corolla dimidio minoribus. Leers *Fl. Herb. p.* 165. *HYP. Delphinense* Vill. III. p. 497. t. XLIV.

Non *HYPERICUM alp. humilium* Ferd. Bassi *Comment. Bonon.* IV. t. 3. sed potius non perforatum alpinum caule terete *Ponted. Comp.* p. 114.

In subalpinis, submontanis, etiam circa Bernam.

25) *MESPILUS monogyna* Jacq. in sepibus nostris cum *M. oxyacantha* promiscue habitat, sed haec rarius; in dumetis quoque nunquam sese mihi obtulit, ubi prior vulgaris est. Pro distinctis speciebus habeo cum Jacquinio et Ehrhardto; quae quoque non una florent.

26) Rosarum genus in ditissima regione nuperis observationibus non parum auctum est. Primas recensebo eas species, quas Reynier, Lausannensis, primus ut novus prodidit, descripsit, iconibusque illustravit in *Collectaneis Societatis Physicae Lausannensis* Vol. I. p. 67. et seqq.

- 1) *ROSA collineola*; germina glabra, globosa; foliola ovalia, obtusa, pubescentia, eglandulosa, subtus incana; petioli subaculeati: pedunculi subfoliarii glaberrimi, breviores: lacinae calycinae subulatae, apice saepius foliaceae pubescentes, erectae. Ehrh. *Beitr.* II. 170. ubi videas synonyma.

Rosier printannier. Reynier *l. c.* p. 68. T. IV.

Et

Et simpliciter et pleno flore habitat circa Bernam et alibi in Helvetia. Stipulae apice divaricatae.

- 2) *ROSA rubicunda*, aculeis recurvis, stipularibus foliolis ovalibus acutis, glaberrimis simpliciter ferratis, subtus, nervis petiolisque rubricolis, stipulis integerrimis, seu ad apicem ferrulatis, glaberrimis, petiolis subaculeatis glabris, germinibus ovatis, cum pedunculis glaberrimis, coloratis, laciniis calycinis integris, pilis capitatis obsita.

Rosier multiflore Reynier ibid.

Rosa foliis glaucis rubedine cinctis. Scheuchzer *iter.* 518. Hall. *Enum.* 349. 4. *Hist.* 1101. var. β .

ROSA rubrifolia Vill. III. 549. *ferruginea* Prosp.

Habitat hinc inde in Subalpinis calidioribus.

Stipulae latiores, acutae, nec mucronatae.

- 3) *Rosier rampant*, tertia species Reynieri est 1102. Hall. *ROSA serpens* Ehrh., *ROSA arvensis* Hudf. et Villars, *ROSA sylvestris* Poll. etc. ubi videas synonyma.

- 4) *ROSA collina*, germinibus ovatis glabris, pedunculis, stipulis, cum pagina exteriore laciniarum calycis pubescentibus, aculeis recurvis, petiolis villosis, aculeatis; foliis ovatis, acutis, inaequaliter, sed simpliciter ferratis, ciliatis, supra sericea pube nitentibus, subtus villosulis; calycem laciniis pinnatifidis.

ROSA collina Jacq. *Fl. Austr.*

Circa Bernam passim.

- 5) *ROSA helvetica*, germinibus ovatis, pedunculisque glabris, calycinis laciniis integris, petiolis spinulosis glanduligerisque; foliolis glabris, inodoris, ovalibus, duplicato-ferratis, ferris acuminatis; caule aculeato, aculeis tenuibus rectis.

Nullum invenio bonum Synonymon. Flores, folia et aculei minima generis. Tamen frutex 4-pedalis.

Habitat ad radicem M. Obergurnigel, et passim in Valle Simmiae, atque Launenensi.

- 6) *ROSA pyrenaica*, germinibus ovatis, pedunculisque hispidis coloratis; laciniis calycinis integris, apice foliosis, lanceolatis, petiolis hispido-aculeatis; foliis ovatis, obtusis duplicato-ferratis, caule inermi, ramis unifloris.

Gouan *Il. Bot.* p. 31. T. XIX.

Bonam descriptionem, eamque uberiolem dedit Doct. Haenke in *Beobachtungen auf ein. Reise ins Riesengeb.* p. 103.

Solertiss. Studerus attulit ex Valle Jüstthal, caesis celebri: dein Scheuchzerus in Vallesia et Aquilejensi ditone legit.

- 7) In transitu M. Anreindar et Cheville, in descensu ad Aven legit Reynier

nier Rosam, quam alibi quoque et in loco citato repetita vice lectam propriam speciem constituere puto.

ROSA *Reynieri*, germinibus ovatis, pedunculisque hispidis, calycinis laciniis duabus integris, tribus 2 — 3. appendicibus pinnatis, caule aculeis subrectis, foliis subrotundo-ovatis duplicato ferratis, oris nervisque glandulosis, ceterum glabris.

Habitat in Valleſia, Valle Simmiana. Frutex 4-pedalis, orgyalis.

Stipulae latae, divergentes pubescentes, pilis glanduligeris ciliatae.

27) Cum cl. Villars cenſeo, FRAGARIAM 1120. non eſſe *opacam* Linnaei. At Pot. *intermedia* illius, T. III. p. 568. No. 14. optime repraeſentat plantam noſtram Valleſiſcam, et Aquilejenſem. Montana flores aureos magnos gerit, minor ceterum omnibus partibus, ſed in horto illi ex planitie ſimillima evaſit, mirumque in modum aucta fuit.

28) Raram, novamque civem hujus generis, forſan cum priore confuſam, alunt promiſcuae cum multis pulcherrimis plantis Alpes tractus ſtokhornienſis, PORENTILLAM ſcilicet *Salisburgenſem*, foliis hirsutis, radicalibus quinatis, inciſo-ferratis, obtuſis caulinis ternatis, ſubdentatis, caule aſcendente debili, compreſſo, paucifloro. Haenke *Coll. Auſtr.* II. p. 168. Jacq. *ic. ſt. rar.* Vol. II. faſc. 4. t. 15.

Quinque per annos hanc plantam in horto colui, ubi, ad modum praecedentis, quotannis faciem mutavit, et aucta eſt. Sed habitus proprius plantae in diverſiſſima magnitudine, ſuſpicionem quotannis confirmabat, diſtinctam eſſe ſpeciem. Allionii *P. verna* quoad folia et habitum inter hanc et praecedentem ambigebat, ſed petala repugnabant, quae in mea alpeſtri calyce dupla erant, et quamvis in horto minuerentur, tamen illum ſuperabant. Tandem deſcriptio uberior Haenkii, et icon Jacquinii certioſam me fecerunt, eſſe et plantam ſalisburgenſem, et propriam ſpeciem.

29) Vere anni 1792. ad rivulum Sulgenbach plura lecta ſunt ſpecimina *GEI hybridi* Wulf. In iisdem caulibus habitabant et flores perfecti vulgares, et monſtroſi.

30) STELLARIAM *gramineam* in duas divulſit ſpecies bene diſtinctas oculatiſſimus Ehrhardtus. Utramque alit ſolum Helveticum. STELLARIAM nempe *arvenſem* ſepes et arva ubique, *paluſtrem* paluſtres aggeres in planitie.

31) Retzſius in *Obſ. bot.* faſc. I. p. 15. SCILLAE *italicae* ſynonymon adjungit Halleri *Phalaſium* 1212. quanquam ſummus Pater negaret. Recte: nam planta ſicca Helvetica collata cum optima deſcriptione Retzii affirmare auſim, plantam 1212. eandem eſſe cum SCILLA *italica*.

32) BULBOCODIUM *vernum* L. in Valleſia inferiori vulgo provenit; ſolertiſſimus Davall primus detexit ac determinavit. Specimina viva hoc anno accepta magnitudine mire variabant. Erant uniſlora, bulbis nucis avellanae majoris magnitudine, caule calami pennae anferinae craſſitie; erant duplo omnibus partibus majora, qualia depinxit Retzſius in *Obſ. bot.* faſc. II. t. I. et Curtis in *Botanical magazine*. Figuram rudem, ſed ſynonyma bona videas apud Vill. *Hiſt. des plantes du Dauphiné* II. 245. Saepius

Saepeius lectorem ad hunc auctorem amando, quo nullus carere potest, qui absolutam acquirere vult scientiam plantarum alpinarum et Helveticarum. Nam regio Helvetiae superficie aequalis, australius sita, ut Galloprovincia contermina, plurimas Hispanicas atque Italicas alit, ut *SMILACEM asperam* etc. Deinde per plantas Europae temperationis ascendendo ad alpinas, adque nives et glacies perennes pervenitur, ubi *CERASTIUM latifolium*, *ALCHEMILLA pentaphylla*, aliaque glaciales habitant plantulae. At auctor accuratissimus per plures proponit novas species, in separandis confusis, in illustrandis dubiis aequae sedulus ac modestus, urbana crisi utitur, multo ac prudenti labore congerit synonyma, descriptiones uberiores addit rarioribus dubiisque, sagacibus notis ornatas. Odiosae ac parum pudice actum foret, si plura exciperem; aut plantas bene descriptas denuo describerem.

33) *OPHRYS monophylla* L. rarissima congenerum semel hucusque in Helvetia adscensu M. Fronalp lecta, iterum sese mihi obtulit prope pagum Kandersteg ad radices Montis Gisi.

34) Ehrhardus acutissimus in Beytr. I. p. 185. *EPIPACTIDIS* 1298. varietates bene distinxit, ac species ex illis constituit. *Ensisolia* mitiorem tantum inhabitat Helvetiam, *Lancifolia* in totius Helvetiae sylvis reperitur.

35) *SCHOENUM ferrugineum* repetita vice in prato, die Eymatte, Iegeram, sed pro varietate minore *SCHOENI nigricantis* habueram, cum quo promiscue vivit, temerarium ducens, plantam pro nova specie exhibere, eo in prato et frequenter proveniente, quod summus pater centies perlustraverat, donec Davallius, cui contigerat herbarium Linnaeanum inspiciendi facultas, idque repetita vice docto oculo contemplatus erat, docuit, esse verum *SCHOENUM ferrugineum* L.

Radix caespitosa. Culmus dodrantalis, teres, glaber, *SCH. nigricante* dimidio brevior, tenuior, inferne foliis 2-3. vestitus; unicum in ipso caule. Haec vaginis culmum amplectuntur, sed ubi ab eo recedunt, angustantur, inque subulam abeunt, ita ut potius vaginas longe mucronatas diceres. Capitulum *SCH. nigr.* dimidio minus, ellipticum, duabus constat spiculis distinctis. Hae spiculae 2-3 florum. Glumae inanes spiculam singulam vestientes 4-5: interiores minores ferrugineae, ovatae, acutae aut mucronatae, dorso scabrae, margine membranaceae. Ultima aut extrema utriusque spiculae reliquis multo major, in inferiore spicula ovata, mucronata, capitulum vix aequat; in superiore similis, mucrone duplo brevior. Hae glumae in differentia specifica Linnaeana involucri dicuntur: sed bene distinctae sunt, et quaevis suam sustentat spiculam.

Flores ad rachin scabram alterne siti, uniglumes. Gluma lanceolata, dorso apice scabra.

Stamina 3, lata basi germen cingunt, gluma duplo longiora. Antherae mucronatae.

Germen ovatum, absque fetis.

Krokeri descriptio brevior, nullas novas habet notas. Figura pessima est, ut plane aliam putēs plantam.

36) *CAREX pulicaris* circa Bernam rarior, unico loco a me repertus, in M. Obergurnigel. An nōverit pater, nescio, quoniam herbarium ejus ante 20 annos, prius quam plantarum studio me dederim, cum bibliotheca venditum, Milanum migravit. Sed plantarum bene distinctarum novam differentiam specificam, alias comprehendentem notas quam sexuales, proferre audeo.

CAREX pulicaris, culmus laevis; pericarpia teretia lanceolata, tardius reflexa, spica androgyna.

CAREX dioica, culmus scaber, spica cylindrica, pericarpia obtuse triquetra, rostrata, patula, seorsum glumae reflexae. Utrique stigma bifidum. Secundae culmus fructifer duplo altior, nudus. Scabritiem, quam Smith in 2da editione Florae Lapponicae *CARICIS dioicae* L. pericarpis tribuit, in nostra abest, quae glaberrima.

37) *CAREX Leucoglochin* Ehrh. *pauciflora* Lightfoot, pluribus locis reperta est.

38) *CAREX Oederi* in Helvetia passim provenit.

39) Beatus Dikius, solertissimus botanicus, *CARICEM Bellardi* All. ante Bellardum detexerat, in fertilissima Valle Gaßern ad moles glaciales Alpetli-Gletscher, e quibus Kandra scaturit, Linnaeo quoque miserat sub nomine *CARICIS lucidae*. Aequum duxi, nec ingratum amicis optimi viri, fato nunquam satis flebili litteris ac humanitati prius erepti, quam labores suos utilissimos orbi litterato traderet, e schedis beati Viri descriptionem promere plantae, primum ab eo detectae, singularis fructurae, mediae quasi inter Scirpos et Carices.

Radix caespitosa, multiceps, plures culmos conjungens, fibrosa, fibris duris, fuscis. Culmus fere pedalis, (fructificans) tenuis, teres, glaber, nitens, lutescens, rectus, inferne vaginis plurimis fuscis striatis, utrinque splendentibus obtectus, ceterum nudus, laevissimus. Folia omnia radicalia, culmo dimidio breviora, vix semilineam lata, inferne vaginantia, convexo-concava, dura, glabra, splendentia, lateribus canaliculi deorsum subscabris. Flores in spicam unicam raram, 12—15 florum, cylindricam, semiuncia paullo longiorem congesti, hermaphroditi. Glumae amplexicaules, ovatae, obtusae, per aetatem apice bifidae, splendorum, spadiceae, margine laeviusculo albo. Stamina tria, filamenta pendula. Styli tres, violacei. Capsula inferne integra, e viridi albicans, superne unilateralis, dilute spadicea, ovato-acuta, cum semine glumam aliam continens, e basi ejus interiore una cum semine prognatam, acutam, dilute spadiceam, a capsula non per aetatem discerptam, sed manifeste diverfam. Semen adultum maximam partem nudum, splendorum, spadiceum, ovato-triquetrum, angulo uno obtuso, apice spiculam emittens.

40) *CAREX* 1381. a Jacquino sub nomine *CARICIS praecocis*, a Leerfio *CARICIS filiformis*, delineata est. Exemplaria varietatis β . Leerfii legi in sylvula Ekhölzli, pedalia, spicis femineis remotioribus, pedunculatis, bracteis illas superantibus, foliis squipedalibus, ita ut aliam speciem habuissem, nisi transplantatio in hor-

tum plantarum dodrantalium, in siccissimis natarum, me docuisset, eas mire mutari: eo usque, ut spica mas quadripartita fieret, ceterum glumae, capsulae caedem.

41) *CAREX crassa* Ehrh. in planiori Helvetia non rara fossarum palustrium incola, *acutiformis* ejusd. et *caespitosa* L. circa Bernam et alibi vulgares, *acuta* autem Ehrh. rarior. Sed ad No. 1398. 1399. 1400. et 1404. ex his nullum certum synonymon trahi potest, quam ad ultimum, qui est, mea opinione, *C. acutiformis*. Inspectio Herbarii cetera docebit. Hudson citat 1400. ad suam caespitosam, forsitan quod pater synonymon Raji ad suam 1400. citavit, quod Hudson certe ad suam caespitosam pertinere conscius esset: at 1400 non est *CAREX stricta* Goodenough, quam esse *C. caespitosam* Hudf. asserit in *Transactions of Linnaean Society*, T. II.

42) TRITICI 1431. var. δ . propriam mihi speciem constituere videtur:

BROMUS strictus, culmo recto, stricto, foliis radicalibus brevibus, spiculis sessilibus; 8 floris, teretiufculis, glabris; glumis folliculi apice rotundatis, obtusis, aristatis, arista longioribus; interioribus exteriores superantibus.

Omnia glabra. Habitat in siccis, tenui gramine vestitis. An *BROMUS fragilis* Schrank.?

43) AGROSTIDES papposas et ARUNDINES unifloras in genus coegit Doct. Rothius. Non malo consilio, nam mire confundebant eas Botanici. Mea sententia helveticae ita se habent:

1519. est *ARUNDO epigeios* L. caule simplici, recto, panicula ramosissima diffusa; spiculis subulatis, subfalcatis, aristatis, arista infra medium valvulae affixa, filiformi, recta, scabra, valvula vix longiore. Pappus longitudine calycis. Culmus validus, folia arundinacea.

Synonyma videas Ehrhart *Beyträge* VI. p. 135.

1520. hucusque ignota planta, sed minime *Arundo epigeios* L. nam locustae minimae, panicula pollicaris.

1521. *AGROSTIS calamagrostis* L. Panicula multiflora, diffusa, (sub anthesi) strigosa. Glumae folliculi totae lanatae, germi adhaerentes; exterior aristata arista tortili, subulata, valvula sua duplo longiore. *AGROSTIS calamagrostis* Leers *Herb.* p. 285. nequaquam huc pertinet. Folia angusta graminea. Incola rupestrium apricorum. Culmus ramosus.

1522. *AGROSTIS arundinacea* L.

1523. Nescio quid sit. Repetita vice quaesita est locis indicatis in *Historia vivipium*, sed nulla hujusmodi planta reperiri potuit; semper 1521, 1522. asseriebantur.

Duas cives novas huic generi addam, utramque circa Bernam lectam.

ARUNDO Calamagrostis culmo ramoso, panicula sublanceolata, laxiuscula, alterne contracta; spiculis unifloris, pedicellis capillaribus; glumis calycinis aequalibus, lanceolatis, coloratis; folliculi inaequalibus, calyce duplo brevioribus; major fissa, sub fissura aristam emittens filiformem, scabram, valvula vix longiorem. Pappus folliculo longior, calyce brevior.

Syno-

Synonyma vide apud Ehrh. *Beitr.* VI. 136. excepto 1519. Hall. quod non huc pertinet.

Repetita vice reperi in fepe humida paludis Gumlingensis, ac cum exemplari Ehrhartiano contuli. Culmus tenellus, omnia minus arundinacea.

ARUNDO *pseudopragmites*, culmo ramoso, panicula ramosissima, diffusa, multiflora. Spiculae uniflorae, lineari-subulatae. Glumae folliculi inaequales, calycinis dimidio minores, hyalinae: exterior apice fissa, aristata. Arista recta, scabra, filiformis, longitudine calycis. Pappus longitudine calycis.

Synonyma nulla invenio. Planta quoad habitum PHRAGMITI simillima, paullo minor. Legi primum ad aggerem areae, in qua ligna Civitatis Bernensis congeruntur, in Marzihli dein MORELLIUS attulit a ripa fluminis Schwarzwasser, ubi vicina SAXIFRAGAE *mutatae* habitabat.

44) SALIX *decipiens*; arborea, foliis ferratis glabris lanceolatis petiolatis, inferioribus obovatis reflexis Hoffm. *Hist. Sal.* Vol. II. fasc. I. T. 31.

Ad rivum Sulgenbach prope Bernam.

45) SALIX *pentandra* nunc et in pago Kandersteg et in Valle Ursaria lecta est.

46) SALIX *fissa* a beato Dikio in Kandergrün prope Thun lecta est, uti ex schedis suis compertum habeo, ubi descripsit. Varietatem esse *S. viminalis*, crediderat.

47) SALIX 1655. vulgatissima circa Bernam et alibi in ditione Bernensi. Nullum tamen synonymon certum penes auctores invenio. Descriptionem non ingrattam fore judicavi.

Arbuscula ad summum 10-pedalis, ramulis flexilibus. Anni pubescunt.

Gemmae foliaceae ovatae supra et infra florales positae. Valvula ovata griseofusca, pubescens, emarginata, duabus lineis elevatis, ad emarginationem confluentibus, percursa.

Gemmae florales ovatae, tomento sericeo obvelatae. Valvulae similes, minores.

Folia in fruticibus non putatis ovata, utrinque acuta, in putatis elliptica, medio notabiliter latiora; ferrata, ferris undatis, ut in Populo nigra; prima juventute obscure sericea, dein glabra, supra laurino splendore nitent, subtus glauca, aut subto mentosa. Petioli brevissimi et nervi paginae inferioris pubescentes. Natura fungosa accedit ad *S. acuminatam*, siccando facillime nigrescunt. Stipulae crenatae, semicirculares.

Juli ♂. oblongi, foliis 3 vestiti, sericeis, ellipticis, subintegerrimis. Squamae oblongae obtusae, apice atropurpureae, villo longo. Axis villosa. Ante folia sese explicant. Stamina duo. Filamenta tenera, alba, primo brevissima, post semipollinaria, glabra. Antherae subrotundae, didymae, medio filamentis insertae. Nectarium truncatum, subemarginatum.

Juli ♀. ejusdem longitudinis et formae, iisdem vestiti foliis. Squamae, nectarium, axis similes. Ovarium pedunculo lineari infidet ovatum cum cono elongato, ut *acuminatae*, viride, pubescens. Styli duo, ad medium usque connati, lutescentes;

stigmata bipartita. Capsula glabra, longius in maturitate pedunculata, ut julos inconcinnos atque strigosos reddat. Semina et pappus de more.

Possset esse *mysinites* aut *phyllocaefolia* Leers, nam parum verisimile videtur, fruticulos nanos, ut haec duae species Linnaei, ad sepes plantatas esse. Villars inter 30 species Delphinenses, et Pallas in *Flora Rossica* nullam habent speciem, quae nostrae non pluribus repugnaret notis.

48) SALIX 1651. *Caprea* est Hoffmanni, et 1653. *acuminata* ejusdem.

49) Varietas δ. ASPLENII 1693. convenit cum ASPLENIO *viridi* ob figuras Plukenetii et Tournefortii citatas, ni pater caulem spadiceum diceret. Certe planta Hudson *Fl. Angl.* ed. 2. Tom. II. p. 453. et Ehrhardt *Pl. Crypt.* 71. lecta est in Helvetia in montanis et subalpinis rupibus umbrosis.

50) POLYPODIUM *montanum* frondibus subbipinnatis, pinnis alternis, pinnulis integerrimis lanceolatis obtusiusculis, glomerulis marginalibus. Willd. *Fl. Berol. Prod.* No. 883. Ehrhardt *Beytr.* IV. 44. Passim in montanis provenit.

II.

Über den

Organismus des Keims

der

vegetabilischen Saamen.

Der in den Saamenhüllen enthaltene Keim macht die Gränze aller physikalischen Untersuchungen über die Entstehung der Pflanzen aus.

Die Pflanzen-Seele, von der, als von einer geistigen und eingepflanzten Kraft, ehemals das Aufkeimen des Saamens hergeleitet wurde, mußte, nach den Untersuchungen der Malpighi und Grew, dem bloßen Mechanismus des Keims Platz machen. Die sorgfältige Untersuchung dieser Naturforscher bestimmte im Keim den Unterschied des *Herzblättchens* (*Pflänzchens*, *pinnacivola*) und des *Schnäbelchens* (*Wärzchens*, *radicetta*, *rostellum*), so wie sie die Stellung der Saamenblätter, oder der Kotyledonen, beim Aufkeimen genauer angaben. Die Beobachtungen dieser Männer wurden in der Folge, ohne die geringste Veränderung, allgemein angenommen. Der einzige Dühamel erforschte die Vertheilung der Gefäße durch die Saamenlappen genauer, verglich diese mit den thierischen Brüsten, untersuchte den Lauf des Nahrungsaftes, die verschiedene Gestalt und das abweichende Gewebe der Saamenblätter.

Da

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Haller von (Junior) Albrecht

Artikel/Article: [TENTAMEN ADDITAMENTORUM ET OBSERVATIONUM AD HISTORIAM STIRPIUM HELVETICARUM SPECTANTIUM 1001-1012](#)